

est, talis tamen nondum apparet. Siquidem pro foro externo paria sunt, quod quis prædo non sit, vel quod sit prædo, non tamen talis esse appareat: unde merito hujusmodi prædo adversus dominum restituendus est, donec ipse et habitam possessionem, et illatam sibi per alterum spoliationem probaverit; prout hoc ipsum accidit in aliis casibus. Secus dicendum de notorio prædone concurrente cum vero domino, quem constat esse dominum: nam tunc prævalet in executione proprietas probata; atque prædo per dominum spoliatus si petierit adversus ipsum dominum restitui, recte removetur exceptione proprietatis huic notorie competentis.

64. *Textus l. Si quis in tantam, c. Unde vi, declaratur.* — Quod si objicias: In execrationem spoliationis atque odium, jure cautum est in l. *Si quis in tantam, c. Unde vi*, ut dominus propria auctoritate violenter invadens possessionem rei suæ apud alium constitutæ, non solum teneatur ipsam restituere, verum etiam dominium ejus amittat; ergo non videtur, quod dominus prædonem spoliens, possit contra ipsum uti exceptione proprietatis sive domini sibi competentis, cum in pœnam factæ spoliationis istud amittere meruerit. Resp. primo, hanc pœnam amissionis domini non incurri ipso jure, sed primum post sententiam judicis: ut notat Glossa in cit. l. *Si quis in tantam, §. Amittat*, ff. eodem. Unde quod dispositio et pœna dictæ legis, locum non habeat, nisi postquam a judice declaratum fuit, spoliatorem in eam incidisse, recte docet Menochius cit. remed. 1. n. 238, et Mascardus *de Probationib.* concl. 1333, n. 14 cum illis, estque jam dictum supra § præc., n. 38.

65. *Textus l. Si quis in tantam, c. Unde vi, declaratur.* — Deinde, et magis ad propositum respondetur cum eodem Menochio, loc. cit. n. 121 et 128, dictam legem, *Si quis in tantam*, non procedere in notorio prædone; cum de hoc specialem mentionem non faciat et alias jure permissum sit domino, adversus manifestum prædonem jus sibi dicere: prout tradit Decias in l. *Qui jurisdictioni*, n. 11, ff. *de jurisdiction. omn. judic.* ac favet textus in c. *Proposuit*, 14. *de Appellat.* ubi pro crimine gravi, et notorio dicitur quis « ipso actu merito esse damnandus. » Accedit Glossa in cap. 1, §. *Rigor, de Dolo et contum.*, dicens, quod rigor ille juris civilis, de quo in d. l. *Si quis in tantam, c. Unde vi*, secundum canones non

sit servandus in ecclesiasticis personis et negotiis, per textum ibidem cum concordantiis; licet in causis privatorum servetur.

66. *Textus l. Si quis in tantam, c. Unde vi, declaratur.* — Tandem ad eandem instantiam responderi potest cum Glossa in c. *Pastoralis*, 5, §. *Intentare, de Causa possess.*, quam approbat Abbas ibid. numer. 23, negando sequelam. Siquidem quod violentiam inferens super re sua, privetur dominio ipsius, id non provenit ex natura interdicti *Unde vi* (nam virtute hujus non privatur quis dominio, sed compellitur solum restituere rem cum fructibus), sed illud oritur ex constitutione citate legis pœnalis, *Si quis in tantam*. Ac proinde si spoliatus velit sibi adjudicari proprietatem rei, oportet ut agat conditione ex l. *Si quis in tantam, c. Unde vi*; etenim per interdictum *Unde vi*, de quo loquitur data conclusio, hoc non consequeretur, sed possessionem dumtaxat rei cum fructibus. Et hanc ultimam Glossæ responsionem addere libuit pro meliori illius legis intelligentia: nam ad nostrum casum magis deservit prima, et secunda. Verum occasione præmissorum,

67. *Spoliatus potest spoliatorem vi repellere, ac eundem incontinenti rursus spoliare, non autem ex intervallo.* — Quæritur IV. Utrum spoliatus possit spoliatorem, puta prædonem vi repellere, aut rursus eundem spoliare? Resp. I. Si quis spoliatur, seu vi per alium, puta prædonem, dejiciatur a possessione sua, licite poterit invasorem vi repellere; et si jam spoliatus fuerit, rursus eundem spoliare; dummodo hoc faciat incontinenti, sive confestim, non autem ex intervallo. Ita communis; atque habetur expressum l. III, § *Cum igitur*, ff. *de Vi et vi armat.* Ratio conclusionis, atque disparitatis inter utramque ejus partem, est: quia vim vi repellere, ac violentum invasorem dejicere incontinenti, sive spoliium eidem illico eripere, spectat ad licitam rerum suarum defensionem, atque ipso jure naturali permissum c. *Significasti*, 18. *de Homicid. volunt.* et l. § *Vim vi*, ff. *de Vi et vi armat.* Econtra vero dejectio violenta facta ex intervallo, potius censenda est vindictio, quam justa rerum defensio, ac proinde non est permissa, nisi interveniente auctoritate judicis.

68. *Ly Incontinenti, quid importet?* — Cæterum incontinenti, sive confestim, censetur ille vim vi repellere, qui hoc facit, antequam ad alia extranea negotia divertat, l. *Continuus*, ff. *de Verb. signif.* ac notat Glossa

in d. l. §. *Incontinenti*, ff. *de Vi et vi armat.* Quæ Glossa hoc ipsum notabiliter extendit ad eum casum, quo quis in via spoliatus venit in civitatem, rogat amicos pro auxilio, et in hoc laborat per biduum vel triduum, ac regressus cum amicis iterum expellit prædonem: quia talis (inquit) interim retinuit possessionem civilem, cum spe recuperandi naturalem. Neque ipsi obstare potest, quod biduo, vel plus moratus fuerit in civitate: quia sic erat opus pro tali negotio: ac proinde occupatus circa hoc, non censetur divertisse ad extranea. Concordat Glossa fin in c. *Significasti*, 18, *de Homicid.* et Hostiensis, ac Abbas in c. *Olim causam*, n. 10, h. t.; Gailus, lib. I, *de Pace publica*, cap. xvi, n. 12; Menochius, *de Arbitrar. judic.* lib. II, casu 11, n. 2 et 3, et *de Recuperand. possess.* remed. 1, n. 385, citans plurimos alios. Quinimo plerique horum addunt ly « incontinenti, » intelligendum esse pro ly « quam primum fieri potest, » nempe collectis amicis et defensoribus, et non divertendo ad alia negotia: atque istud tandem judicis arbitrio pro rerum et personarum, ipsiusque dejectionis et rei invasæ qualitate dijudicandum, ac determinandum relinquunt.

69. *Dominus ex intervallo prædonem non notorium spoliens, potest a prædone conveniri interdicto Unde vi.* — Resp. II. Quod si vero, dominus re sua spoliatus, primum ex intervallo prædonem dejiciat, potest is a prædone (dummodo hic non sit notorius, ob dicta n. 62.) postea conveniri interdicto *Unde vi*. Ita communis: et patet ex l. *Colonus*, et l. *Cum fundum*, ff. *de Vi et vi armat.* Nam ultimum spoliium est purgandum. Menochius, *de Recuperand. possess.* remed. 1, 128. Atqui ultimum spoliium in proposito est spoliium domini contra prædonem ex intervallo spoliatum; ergo.

70. *Facta tamen ipsi restitutione, postea prædo ille simili interdicto obstrictus erit domino.* — Interim tamen facta prædoni restitutione, postmodum prædo simili interdicto obstrictus erit domino, vel priori possessori: dummodo hic probare possit, ac probet tam possessionem, quam dejectionem suam, cit. l. *Colonus*, et l. *Cum fundum*, ff. eod.

§ IV.

DE NONNULLIS CASIBUS, IN QUIBUS NON FIT RESTITUTIO SPOLIATORUM ANTE OMNIA.

71. *Regula illa, Spoliatus ante omnia restituendus, fallit in nonnullis casibus.* — Certum

est, ac passim fatentur doctores quod sicut in aliis materiis nulla solet esse regula sine exceptione; ita etiam regula illa, « Spoliatus ante omnia est restituendus, » fallat in nonnullis casibus, seu quasdam patiatur exceptiones, quas et fallentias appellant: prout habetur in c. *Litteras*, § *Secunda*, h. t. ibi: « Cum etiam in multis casibus restitutio differatur secundum canonicas sanctiones. » Unde.

72. *Ut si spoliatus in hoc consentiat.* — Quæritur I. An, et qualiter ob consensum spoliati non fiat restitutio spoli ante omnia? Resp. I. Certum est, quod si consentiat spoliatus, non sit necesse, ut restituatur ante omnia; sed eodem consentiente possit spoliator in judicio audiri super proprietate rei sibi competente. Textus est in cap. 1, h. t. ubi Glossa, et doctores communiter. Siquidem potest spoliatus privilegio, ut ante omnia restituatur, sponte renuntiare: cum privilegium istud in favorem spoliati concessum fuerit, et quilibet juri suo renuntiare valeat, c. *Si diligenti*, 12, *de Foro compet.* Accedit, quod exceptio factæ spoliationis, impediens cognosci super proprietate ante factam spoli restitutionem, sit exceptio dilatoria: atqui exceptioni dilatoriæ potest renuntiari, c. *Inter monasterium*, 20, *de Sentent. et re judic.*

73. *Sive dein expresse, sive tacite consenserit.* — Resp. II. Præmissa conclusio procedit, etiamsi spoliatus non expresse, sed tantum tacite consenserit, permittendo videlicet spoliatorem probare jus proprietatis ante factam spoli restitutionem, et non declamando: hoc ipso enim, quod non reclamet, seu non excipiat, nec replicet contra spoliatorem reum opponentem dominium, neque a judice volente cognoscere super dominio appellat, subeundo hujusmodi iudicium censetur tacite in istud consentire. Ita desumitur ex cit. c. *Inter monasterium*, 20, *de Sent. et re judicat.* ac notat Menochius in remed. 1, *de Recuperand. possess.* n. 163; Sperellus dec. 100. *Fori ecclesiast.* n. 12 et 13, asserens, quod agens remedio recuperandæ teneatur excipere, et instanter protestari de non cumulando petitorum cum possessorio; alioquin spoliatus, non sit ante omnia restituendus. Mascardus conclus. 132 ff. *de Probationib.* n. 7, post Bartolum in l. *Si quis ad se fundum*, n. 2, c. *Ad legem Juliam de vi public.* et alios. Ratio est, quia actio non excluditur, neque impeditur, nisi exceptio expresse opponatur, arg. c. *Pastoralis*, 4, *de Exception.*

et d. c. *Inter monasterium, de Sentent. et re judicat.* Ergo etiam in proposito non impeditur actio spoliatoris, volentis probare proprietatem rei spolio sublatae ad se pertinere, nisi spoliatus expresse exceptionem factae spoliationis opponat.

74. *Et tunc non potest iudex ex officio supplere restitutionem.* — Resp. II. Insuper stante tali consensu spoliati, sive expresso, sive tacito, non potest iudex ex officio supplere, ut ante omnia spoliatum restituat. Ita Menochius loc. cit. n. 873; Mascard. d. concl. 1332, n. 13, et alii. Nam iudex regulariter non interponit suum officium, nisi petatur, arg. c. *Innotuit*, 20, § fin. de *Election.* et l. IV, § *Hoc autem iudicium*, ff. de *Damno infecto*, cum similibus, ac proinde tunc solum ante omnia restitui debet spoliatus, quando petit, non autem ex mero officio iudicis; prout ulterius desumitur ex cap. 1 et c. *In litteris*, 5 et c. *Item cum quis*, 6, h. t.

75. *Nisi ceteroquin imminet periculum animarum.* — Hoc tamen intellige, dummodo non imminet periculum animarum, si restitutio non fiat. Nam stante tali periculo potest iudex facere restitutionem etiam non petenti, ut evitetur periculum peccati, arg. c. *Ex parte Abbatis*, 9 et c. *Ex parte tua*, 14, de *Convers. conjugat.* in quorum priore loco conjugatus, faciens professionem religionis uxore consentiente, et post hujus mortem ducens aliam, jubetur hac dimissa redire ad monasterium; in altero vero casu reverti ad conjugem, si post propositum servandae castitatis nolit religionem ingredi, sed solum in domo propria remanere: quia videlicet in utroque casu imminet periculum animarum, cum neutrum de jure fieri possit. Abbas cap. 1, n. 3, h. t.; Pirhing eod. n. 26 et alii, quos citat, atque innuit Glossa in can. *Quia praesulatus*, 1, q. 4, §. *Ablata*, loquens de presbytero, qui sine propria culpa fuit excommunicatus, suaque Ecclesia privatus; sicque restitui debet, cum hanc alius sine periculo animae suae retinere non potuisset.

76. *Ob notorium defectum proprietatis spoliatus non restituitur; et qualiter hoc intelligendum?* — Quæritur II. Utrum spoliatus ante omnia sit restituendus, non obstante notorio defectu proprietatis ex parte ipsius? Resp. Stante notorio defectu proprietatis ex parte spoliati, tunc is non est restituendus ante omnia; dummodo simul constet, proprietatem seu dominium spoliati spectare ad spoliatorem: ut puta, si ex actis iudicii, aut

per propriam spoliati confessionem, vel hujusmodi, liquido constet, quod proprietatis rei spolio ablatae non pertineat ab ipsum spoliatum, sed ad spoliatorem. Ita Abbas in cap. 1 n. 3, h. t. post Innocentium in c. *Constitutus de Filiis presbyt.*; Mascardus, de *Probationibus*. concl. 1333 n. 1, et seqq.; Menochius, de *Recuperand. possess.* remed. 1. n. 215 et 216, citans Rotam in *novis decisionibus*. tit. de *Restitut. spoliat.* decis. 16, 17 et 19 et alii. Notanter tamen additur in conclusione, « dummodo simul constet proprietatem rei spectare ad spoliatorem: » ob dicta superius num. 59, ubi etiam prædo restituitur contra extraneum.

77. *Ob notorium defectum proprietatis spoliatus non restituitur; et qualiter hoc intelligendum?* — Ratio conclusionis sit declarata est illa. Quia, quando notorie constat de dominio spoliatoris, et quod proprietatis rei spolio ablatae pertineat ad ipsum, non vero ad spoliatum nunc agentem interdicto recuperandae, frustra hic mitteretur in possessionem rei illius; utpote quam statim restituere cogere spoliatori, tanquam vero ac manifesto domino. Accedit, quod ejusmodi spoliatus ob talem notorium defectum proprietatis, veluti dolosus, jure repellatur: « nam dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem, » ut loquitur reg. 59 juris in 6, cum concordantiis. Atque hinc quod prædo notorius non sit restituendus adversus dominum rei spolio ablatae, jam supra § præced. n. 62, dictum fuit.

78. *Ob notorium defectum proprietatis spoliatus non restituitur; et qualiter hoc intelligendum?* — Insuper, quando de proprietate spoliatoris plene liquet (uti constare de ea supponitur in casu notorietatis jam memoratae) clarum est, quod proprietatis tanquam dignior trahat ad se possessionem, l. *Bona fides*. ff. *De po. it.* Ubi hujus ratio refunditur in jus naturale, « seu in justitiam, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahat ob ullius personæ justiore petitione. » Unde in simili, quando super possessione ac proprietate simul agitur, et ita processum est, ut liqueat de utraque: quamvis in pronuntiatione sententiæ primo præmittenda sit possessio, nihilominus in executione debet prevalere proprietatis. c. *Cum dilectus*, 6 et c. *Cum Ecclesia*, 3, § fin. de *Causa possess.*, cum similibus, estque amplius dictum tit. præc. § 10 num. 296.

79. *Notorium, quibus modis aliquid fiat?*—

Additur notanter num. 76, exempli gratia, « ut puta, si ex actis iudicii, » etc. Nam dicta fallentia procedit sive de spoliatoris dominio constet ex actis iudicii, v. g. per sententiam jam semel pro ipso latam in iudicio petitorio siquidem acta judicialia faciunt notorium, cap. ult. de *Cohabitat. cleric.*; et quidquid in iudicio probatum est, dicitur notorium, arg. c. *Cum olim*, 24, de *Verbor. signif.* ac notat Abbas ibid. n. 3, hoc ultimum intelligens de probatione in jure facta postquam conclusum fuit in causa, quia tunc demum facit notorium. Menochius, ubi supra, n. 231, citans alios. Sive de eodem spoliatoris dominio constet per confessionem ipsiusmet spoliati: quoniam confessio propria, est probatio probata; et aliarum verior atque posterior l. *Generaliter*. C. *denon numerat. pecun.* Menochius loc. cit. n. 217. Sive de tali spoliatoris dominio constet per publicum instrumentum: nam et instrumenta rem faciunt notoriam. Rota in cit. decis. 16, tit. de *Restitut. spoliat.* in *novis*. Mascardus d. concl. 1333, n. 6 et 7, Menochius, ubi supra, n. 223, et seqq., id tamen intelligens, dummodo contra tale instrumentum nihil objiciatur: si enim quid opponeretur, res desineret esse clara. Sive tandem de dicto spoliatoris dominio constet per testes, a spoliato jam admissos: quia per testes etiam res fit notoria, l. ult. c. de *Probationib.*, simulque instrumenta, et testes, pari modo procedunt, l. *In exercendis*. C. de *Fide instrument.*; Abbas in cap. 1, n. 3, h. t.; Menochius et loc. cit. n. 226, et alii. Quamquam post oppositam spoliati exceptionem, testes super proprietate a spoliatore adducti amplius audiri non debeant, donec spoliatus restituatur: ac proinde notanter hic fuerit additum cum citato Abbate, « Per testes admissos, » etc.

80. *Restitutio spoliati non habet locum ob resistantiam juris communis contra spoliatum nisi doceat de titulo.* — Quæritur III. An restitutio spoliati locum habeat non obstante resistantia juris communis contra ipsum? Resp. I. Superius allata regula, quod « Spoliatus ante omnia sit restituendus, » fallit ulterius ob resistantiam juris communis contra spoliatum, et assistentiam pro spoliatore: unde quando jus communi favet spoliatori et resistit spoliato, iste postulans restitui adversus eum, qui jure communi juvatur, non auditur, neque ante omnia restituendus est, nisi prius docuerit de titulo. Ita Abbas c. *In litteris*. n. 18 et 24, h. t.; Joan. Andreas in c. *Ad deci-*

mas. n. 2, h. t. in 6, et Glossa ibid. in add. l. et Barbosa cit. c. *Ad decimas*. n. 2; Pirhing, h. t. n. 42, et alii. Idque clare desumitur ex d. c. *Ad decimas*. 2, h. t. in 6, ubi Ecclesia, quæ petit restitutionem decimarum, quas ait se infra parochiam alterius possedisse, non auditur, neque restituitur, nisi prius probaverit sese earum possessionem legitimo titulo assecutam fuisse. Accedit ratio ibidem allegata: quia nisi talis docuerit de legitimo titulo acquisitæ possessionis, præsumitur injuste ejusmodi decimas in aliena parochia occupasse; cum manifestum sit (nisi aliud ostendatur) decimas ad ecclesiam propriæ parochiæ pertinere, cap. ult. de *Parochiis*. Idem ergo dicendum de similibus casibus, ubi contra agentem iudicio restitutorio militat jus commune, et juvat alterum, contra quem agitur.

81. *Et alioquin præsumitur usurpando possessionem invasisse.* — Confirmatur id ipsum ex can. *Contra morem*, dist. 100, ubi dicitur, morem Ecclesiæ universalis, et consequenter juris communis esse observandum, nisi quis consuetudine generali aut privilegio sese munitum ostendere valeat: alioquin enim usurpasse se comprobatur, quod fecit. Hoc quippe applicando ad propositum, ex quo manifestum est, quod jus commune resistat spoliato simulque assistat spoliatori, pariter constat de dominio spoliantis, et quod spoliatus non nisi usurpando ejus possessionem invaserit: nisi hic possit ostendere legitimum titulum, vel saltem præsumptionem ejus, puta, ex possessione longi temporis desumptam.

82. *In iudicio recuperandæ possessionis non requiritur exacta probatio tituli.* — Et hoc ultimum notanter additur. Siquidem in dubio et stante præsumptione tituli, favorabilioris conditionis debet esse spoliatus, sicque ante omnia restitui: stat enim tunc in possessione regula. Accedit, quod in iudicio recuperandæ possessionis non requiratur exacta probatio tituli, sed sufficiat levis. Pirhing h. t. n. 42 et 47. Nam, ut inquit Mascardus, de *Probat.* concl. 1329 n. 2, cum aliis, ut spontatus possit agere ad petendam restitutionem, sufficit probatio summaria, sive ut coloretur possessio præhabita: non enim tunc agitur ad reportandam sententiam diffinitivam, sed per modum cujusdam præparamenti; cum contra restitutum postea agi possit iudicio petitorio.

83. *Si jus commune resistat quidem spoliato non autem faveat spoliatori, tunc admittenda*

est ejus restitutio. — Dicitur notanter in conclusione, « Quando jus commune favet spoliatori, » etc. Nam si istud solum resistat spoliatori tunc (extra causas beneficiale, juxta dicenda n. 83.) admittendam esse restitutionem non obstante illa juris communis resistentia, passim fatentur doctores : ut Glossa in cit. c. *Ad decimas*. §. *Evand. n. clericum*. h. t. in 6; Covarruvias lib. I, *Var. resolut.* cap. XVII, n. 6, vers. *Quamobrem sunt*; Barbosa in d. c. *Ad decimas*. n. 6, h. t. in 6, citans alios. Et merito, tum quia allegatum, c. *Ad decimas*. expresse loquitur in casu, quo jus commune resistit possessori spoliato, et vicissim assistit spoliatori, nisi spoliatus ostenderit titulum : ergo ad hunc solum casum, est restringendum : nam regulæ juris, ut est præsens de restitutione spoliatorum, sunt tenaces, ipsisque est inhærendum, donec de fallentia doceatur. Menochius, loc. cit. n. 359 post Bartolum in l. II, n. 1. ff. *Si quis in jus vocatus*, etc., et alios; tum quia etiam prædo est restituendus adversus extraneum c. *In litteris*. h. t.; haud obstante, quod jus naturale eidem resistat, quia videlicet istud illi extraneo non assistit.

84. *Et hoc procedit non solum in causis spiritualibus, sed etiam temporalibus.* — Resp. II. Hactenus dicta locum habent non solum in decimis, beneficiis ecclesiasticis, et cæteris causis spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Ita Barbosa in cit. c. *Ad decimas*. n. 14, h. t. in 6, asserens ita tenere ferme omnes doctores prioris sententiæ; cum inter res spirituales et temporales non distinguant, paucis exceptis. Accedit ratio, quia de causis quoque temporalibus militat rationes n. 80 et 81 allatæ. Deinde, si non obstante juris communis resistentia contra spoliatum, illiusque assistentia pro spoliatore, adhuc ante omnia, seu ante ostensum a spoliato titulum, facienda foret ejus restitutio; æque tam in temporalibus, quam spiritualibus, urgeret periculum animæ, et præsumptio injustæ possessionis, nam possidens aliquid contra juris dispositionem, præsumitur malæ fidei possessor, donec ostenderit titulum, arg. cit. c. *Ad decimas*. h. t. in 6, et notat Glossa ibid. in casu.

85. *Limitatur tamen in causis beneficiis, et cur?* — Atque hanc conclusionem intellige quando non solum resistentia juris communis est contra spoliatum, nullo titulo etiam colorato munitum (idemque si notorie constet de defectu proprietatis ex parte ipsius), sed

insuper assistentia juris communis (vel notorietas proprietatis) stat pro spoliante. Alioquin enim, secluso hoc posteriori, datur manifesta disparitas inter causas beneficiale, et profanas : nam, ut spoliato denegetur restitutio ad beneficium ecclesiasticum, sufficit, quod notorium sit nullum jus in beneficio cupiam spoliato competere, arg. c. *Quoniam* 40, et c. *Constitutus*. 8, de *Filiis presbyt.* ac notat Abbas c. *In litteris*. 11, h. t., cum aliis : alioquin enim daretur ingressus vitiosus, et absque institutione canonica, in beneficium ecclesiasticum, contra reg. 1 juris in 6, eum similibus. Unde, ne contra clericum spoliatum præsumatur vitiosus ingressus, oportet ut ostendat legitimum titulum, saltem coloratum.

86. *In beneficiis pro obtinenda restitutione debet titulus colorari, non in profanis.* — Econtra in aliis causis, præsertim profanis, ad restitutionem denegandam non sufficit notorius defectus proprietatis (nam etiam prædo est restituendus contra extraneum, ut dictum) sed ulterius requiritur, ut spoliatori jus commune assistat, aut aliunde constet de proprietate spoliati huic competente. Abbas loc. cit. n. 10; Pirhing h. t. n. 27, et concordant dicta superius n. 76 et seqq. Atque in hoc sensu videtur accipienda decisio Rotæ 20, tit. *de Restitut. spoliati in antiq.* quam citat, et cum nonnullis aliis sequitur Mascardus concl. 1329, num. 10, dicens, quod in beneficiis omnino debeat titulus colorari; in profanis vero non sit titulus colorandus, sed tunc spoliatus restitui debeat sine aliqua probatione. Hoc quippe recte asseritur, ubi præter notorium defectum proprietatis aut resistentiam juris communis ex parte spoliati, non assistit spoliatori jus commune, nec aliunde constat de proprietate spoliati ipsi competente : alias secus, uti convincunt hactenus dicta et probata.

87. *Quando ex restitutione spoliati imminet periculum animæ, tunc ea non est facienda.* — Quæritur IV. Utrum restitutio spoliati sit facienda non obstante periculo animæ, scandalo, vel damno irreparabili? Resp. I. Quando imminet periculum animæ, si spoliatus restituatur, tunc non est facienda restitutio : dummodo probationes ejus offerantur in continenti paratæ. Ita Abbas in c. *Litteras* n. 5. et Barbosa, ibid. n. 5. h. t.; Menochius remed. 1. *de Recuperand. possess.* num. 443 et n. 248; Pirhing h. t. n. 27; Engel eod. n. 5, et alii. Desumitur hoc ex cit. c. *Litteras*.

13. h. t. ubi marito rep. tenti conjugem, quæ propria auctoritate ab ipso discesserat, postmodum præmisso juramento de malitia, et oblati probationibus in continenti paratis, opponat impedimentum dirimens matrimonii; restituitur conjux quoad cohabitationem tantum (cohabitare enim licite poterat), non autem quoad thorum, donec cognoscatur super ejusmodi impedimento dirimente. Nam stante veritate hujus exceptionis, pro qua simul offerebantur probationes in continenti paratæ, mulier quoad thorum, restitui non poterat absque detrimento animæ : cum cognito dicto impedimento dirimente, atque nullitate matrimonii, sine offensa Dei, et peccato mortali, debitum viro reddere nequivisset.

88. *Dummodo probationes ejus offerantur in continenti paratæ; alias secus.* — Additur notanter in data conclusione, « dummodo probationes ejus offerantur in continenti paratæ. » Alias enim secus foret dicendum; prout notat Abbas cit. n. 5; atque probat textus in d. c. *Litteras*. h. t. Ibi siquidem § penult. expresse subjungitur, quod si mulier non habeat probationes in continenti paratas ad probandum impedimentum dirimens matrimonii; ipsa plenarie, sicque etiam quoad thorum, viro suo sit restituenda, donec probationes offerat præparatas. Præsumitur enim mala fides contra ipsam, eo quod propria temeritate, et absque judicio Ecclesiæ, a viro suo recesserit.

89. *Quid agendum mulieri recedenti a viro suo ob impedimentum dirimens matrimonii, si per judicem ecclesiasticum eidem restituatur quoad thorum?* — Nec obstat, quod talis sententia judicis ecclesiastici, seu restitutio illius mulieris quoad thorum viro suo facta, videatur mulierem illam conjicere in manifestum periculum animæ, seu peccati fornicationis. Nam quia Ecclesiæ non constat neque tam facile constare potest per probationes, ut pote diutius protrahendas, de allegato impedimento dirimente; quia etiam contra mulierem stet præsumptio, quod forsitan in fraudem istud coningat contra jus matrimonii : hinc stante tali casu locus esse debet regulæ generali, quod spoliatus ante omnia sit restituendus. Neque idcirco mulier illa cogitur peccare : quia aut non certo constat sibi de allegato impedimento (forte, quia illud in fraudem coarctat, vel saltem de eo dubitat, et sic deponat suam fraudem, vel conscientiam dubiam); aut de dicto impedimento diri-

mente matrimonii certo ipsi constat, et tunc debet viro petenti negare consortium thori, haud obstante sententia judicis; atque censura ecclesiastica (hanc enim humiliter tolerare debet, donec probaverit impedimentum, prout ibidem subjungit Pontifex), imo etiam non obstante periculo mortis; cum potius sit moriendum, quam fornicandum. Verum occasione prædictorum.

90. *Probationes, quando censeantur in continenti offerri paratæ?* — Petes : Quando nam censeantur probationes in continenti offerri paratæ? Resp. Tunc dicantur probationes in continenti offerri paratæ, quando non petuntur dilationes magnæ, sed offeruntur faciendæ intra aliquod breve tempus, arbitrio judicis taxandum. Ita Abbas in cit. c. *Litteras*. n. 6. et Barbosa, ibid. num. 6. h. t.; Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* casu 12. n. 4, citans alios. Idque merito : nam in mora modici temporis non est periculum, l. *Si debitori*. ff. *de Judiciis*.

91. *Etiam est facienda restitutio spoliati, quando exinde imminet publicum scandalum.* — Resp. II. Fallit etiam allata superius regula propter scandalum; nam restitutio spoliati non est facienda ante omnia, si exinde imminet publicum scandalum, arg. can. *Impressis*. 2. q. 1. ac notat Glossa ib. §. *In primis*. et alia Glossa c. *Ad petitionem*. §. *Et si restituendus*. de *Accusat.*; Menochius cit. remed. 1. *de Recuperand. possess.* num. 319, citans Rotam, decis. 12. tit. *de Restit. spoliati in novis*, et plurimos alios. Siquidem propter scandalum quandoque aliquid omititur, quod de jure foret faciendum, can. *Aliquantas*. dist. 51. Sicut et multa alia solent concedi, ut evitentur scandala : nam potest iudex partes cogere ad concordiam, seu transactionem ineundam, ut evitetur scandalum, ac perturbatio reipublicæ : item potest iudex sub sequestro retinere possessionem, quando alias ob contentionem partium oritur foret scandalum, et quies publica interturbaretur; de quibus alibi. Idque eo magis in proposito locum habet, quia modicum præjudicium infertur spoliato, dum ipsi ad evitandum publicum scandalum non statim possessio ablata restituitur : hanc enim in petitorio vel illico erit recuperaturus, vel alioquin amissurus.

92. *Aut damnum irreparabile.* — Resp. III. Fallit ulterius dicta regula propter damnum irreparabile, quod facta ante omnia restitutione spoliati secuturum foret. Ita Menochius cit. remed. 1. numer. 308. et seqq., allegans